

agnoscant, veluti in Lybiae aliquibus locis, ubi mulieres sunt communes, ex similitudine eos agnoscunt. Sit ita, agnoscant. Quid tum? An ideo sibi eos filios vindicabunt proprios, hoc modo educabunt? Aliique cives nullam eorum curam gerent nequaquam,
5 sed omnes aequae ac si suus esse proprius cuiusque.

Et quod ait non facile esse vitare iniurias, homicidia, pugnas, iurgia eaque omnia impium esse in patres perpetrare, quod eveniet, nisi filii eos agnoscant, vanum est. Nullae enim rixae, nulla iurgia, nulla homicidia poterunt evenire, ubi omnes cives, sese
10 uti patres, matres, fratres, filios mutuo amore prosequantur, quod si quid forte tale accidat, ἀκουσίως, *non voluntarie*, id quidem iam impium dici non potest, cum nulla προαιρέσει, *electione* factum sit.

Quod autem subdit:²⁷ *Coire tantum ab amantibus auferre amorem autem non prohibere*. Varie itidem reprehendit. Nullus enim legislator potest animi affectus prohibere nec efficere, quin sese homines ament, cum id natura cogat, ideo τὸ ἐρᾶν μὴ ἐκώλυσε
15 *amorem non prohibuit* sed id vetuit, quod potuit:²⁸ *Inordinate quidem misceri invicem vel quid vis aliud facere neque pium est in felici civitate neque sinent principes*. Sed nuptias sacras facit:²⁹ *Nuptias post haec faciemus sacras, quantum poterimus maxime, nec non:*³⁰ *Festi quidam dies lege sancienti^{viii} erunt, in quibus congregemus sponsas ac sponsos et sacrificia et hymni faciendi – et quae sequuntur.*

²⁷ τὸ συνεῖναι μόνον ἀφελεῖν τῶν ἐρώντων, τὸ δ' ἐρᾶν μὴ κωλύσαι. [ARIST. Pol. 1262a.33 – 34]

²⁸ ἀτάκτως μὲν μείγνυσθαι ἀλλήλοις ἢ ἄλλο ὅτιοῦν ποιεῖν οὔτε ὄσιον ἐν εὐδαιμόνων [εὐδαιμόνι] πόλει οὔτ' ἐάσουσιν οἱ ἄρχοντες. [PLATO, R. 458.d.9 – e.1]

²⁹ ὅτι γάμους τὸ μετὰ τοῦτο ποιήσομεν ἱεροὺς εἰς δύναμιν ὅτι μάλιστα. [PLATO, R. 458.e.3 – 4]

³⁰ ἐορταί τινες νομοθετηταί [ἔσσονται] ἐν αἷς συνάξομεν τάς τε νύμφας καὶ τοὺς νυμφίους καὶ θυσίαι, καὶ ὕμνοι ποιητέοι. [PLATO, R. 459.e.5 – 460.a.1]

^{viii} Corr. ex *sancientdae*